



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sectio 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

incipit, Benedictus Deus, hanc fidei veritatem definit per hæc verba: *Videbunt divinam essentiam immediate, se bene, clare, & aperte illis ostendentem.* Et paulò inferius visionem hanc appellat, facialem, & intuitivam. Quod etiam definit Conc. Flor. in Litteris Unionis, ubi ait: *Animas plenè purgatas intueri Deum clarè Trinum, & unum, sicuti est.* Ergo natura rationalis sive humana sive Angelica elevabilis est, & de facto quidem elevata ad videndum facialiter, sive intuitivè Deum.

139. Probatur secundò ratione. Quoties aliqua potentia potest imperfecto modo aliquod objectum naturaliter attingere, non repugnat, eam elevari ad illud perfectè cognoscendum, ut patet in potentia visiva noctuæ, quæ quia imperfectè lumen solis videre potest, majoribus viribus confortata, solem ipsùm perfectè potest intueri: atqui intellectus creatus viribus suis potest imperfectè Deum cognoscere; quin imò & objecta supernaturalia potest per actus naturales cum ipsis inconnexos attingere, ut constat in Hæreticis, qui objecta plura fidei quoad substantiam superna, per actus naturales cognoscunt, & affirmant; ergo intellectus creatus comprincipio superno roboratus potest Deum perfectè, & intuitivè videre.

140. Affero quartò. Elevabilitas intellectus creati ad intuitivam DEI visionem licet possit naturaliter cognosci probabiliter, nequit autem naturaliter demonstrari. Supponimus primam assertionis partem ut certam ex ratione naturali à nobis adducta num. super. Secunda autem assertionis pars, quæ est contra Scotum in quartum dist. 49. q. 8. contra Vasquez, & alios Recentiores, probatur primò. Demonstratio utpote metaphysicè certa, & infallibilis habet ex intrinsicis suis metaphysicam connexionem cum re demonstrata: sed nullus actus naturalis potest ex intrinsicis suis habere metaphysicam connexionem cum Visione beatifica intuitiva DEI, utpote supernaturali; ergo &c. Major, & consequentia tenent. Minor verò probatur: si actus naturalis posset habere ex intrinsicis suis metaphysicam connexionem cum objecto supernaturali, sicut actus naturalis non est supra debitum naturalis potentia; ita & objectum supernaturale, utpote ipsi actui naturali debitum, non esse supra debitum naturalis potentia; atqui objecta supernaturalia sunt supra debitum naturalis potentia; ut constat à numero 58. & latius à numero 386. de Virtute Pœnitentiæ; ergo &c.

141. Probatur tertio ex Augustino lib. 13. de Trinitate cap. 8. & 9. ubi de supernaturali beatitudine ait: *Hanc vitam capiat humana natura, quam tamen desiderabilem confitetur, non parva questio est: sed si fides ad sit, nulla questio est.* Humanis quippe argumentationibus hæc invenire conantes, vix pauci abundantè præditi ingento, doctrinis

R. P. Gormaz Theolog, Tom. II.

que subtilissimis eruditi, ad indagandam solius anima immortalitatem pervenire poterunt: qui tamen animæ beatam vitam non invenerunt stabilem. Confirmatur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 109. art. 1. ubi hæc: *Intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quadam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire: Altiora vero intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficiatur, sicut lumine fidei, vel Prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, in quantum est nature superadditum.* Ergo solis nature viribus nequit intellectus creatus elicere actum, quo visionem intuitivam DEI certò, seu stabiliter demonstrat.

SECTIO II.

Solvuntur opposita.

Objic. 1. contra primam. Si ob aliquam rationem intellectus creatus non posset intuitivè DEUM videre, idè esset, quia modus essendi DEI excedit modum essendi cujuslibet substantiæ, aut intellectus creati, aut creabilis, cum DEUS sit suum esse, actus purus, & infinitè immaterialis; & quævis substantia creata, aut creabilis sit potentialitati admixta: sed hæc ratio est nulla; ergo &c. Probatur min. Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus connaturaliter videt Deum: sed non est actus purus, nec suum esse, nec ejusdem immaterialitatis cum Deo; ergo &c. Confirmatur. 1. Oculus corporeus videt cælos incorruptibiles, licet ipse sit corruptibilis; ergo intellectus creatus, licet sit potentialis, poterit connaturaliter videre Deum non potentialem, sed actum purissimum. Confirmatur. 2. Angelus inferior quidam cognoscit superiorem, licet non sit ejusdem perfectionis cum illo; ergo etiam intellectus creatus poterit ita cognoscere intuitivè Deum; licet non sit ejusdem perfectionis cum Deo.

Resp. dist. maj. Quia excedit modum essendi in omni linea, conc. in aliqua solùm linea; neg. maj. & dist. min. neg. consequent. ad probationem neg. maj. Ratio est, quia intellectus perfusus lumine gloriæ videt Deum, ut elevatus ab ipso lumine: Videre autem Deum ratione elevationis non est connaturaliter videre, prout connaturaliter opponitur supernaturali, quo in sensu procedit præsens controversia. Quapropter quòd DEUM intuitivè intellectus creatus videre non possit, ex solis suis viribus, non solùm sumitur ex excessu super intellectum creatum in aliqua linea essendi, sed in linea supremi Domini, qui à nulla creatura, quæ essentialiter est ipsius serva, possideri potest intuitivè ex suo jure, sed ex gratia Domini,

ut constat à n. 131. Unde licet visio illa intuitiva sit intellectui creato connaturalis, sumpto connaturali, prout opponitur violento, non est connaturalis sumpto connaturali, prout opponitur supernaturali, ut constat à num. 73. Ad primam confirmationem conc. antecedens, & dist. consequens. Si ex nullo alio capite detur repugnantia, conc. si detur, neg. consequentiam. Hanc autem repugnantiam in casu nostro dari constat à num. 131. Ad secundam confirmationem conc. ant. & dist. conseq. eodem modo. Nam intuitio Angeli superioris cum nullo ipsius prædicato habet opposicionem: secus autem intuitio Dei creaturæ rationali connaturalis, ut ex eo num. citato constat.

144. Obj. 2. Deus potest creare intellectum, qui vi sua naturali adæquet virtutem intellectus beati instructi lumine gloriæ: ergo qui possit naturaliter Deum intuitivè videre. Prob. ant. Virtus intellectus beati instructi lumine gloriæ est finitæ perfectionis, & activitatis; ergo cum dato quocunque intellectu finito, Deus possit perfectiorem producere, nulla datur repugnantia in eo, quod Deus producat intellectum virtute sua naturali adæquantem, vel superantem virtutem, & activitatem intellectus beati instructi lumine gloriæ. Resp. neg. ant. Ad probationem conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia licet DEUS possit producere intellectum creatum perfectiorem, & perfectiorem, nunquam potest in illo identificare perfectiones repugnantes: Perfectio autem luminis gloriæ identificata cum intellectu creato repugnat supremo DEI dominio, ratione cuius creaturæ essentialiter sunt servæ Dei, nec ex intrinsicis suis habere possunt debitum ad possessionem hæreditatis Domini propriam filiorum, ut diximus à num. 134. Unde sicut non potest Deus producere hominem identificatum cum hirco, licet homo, & hircus seorsim non repugnent: ita nequit producere intellectum creatum identificatum cum lumine gloriæ, licet intellectus creatus, & lumen gloriæ seorsim non repugnent.

145. Quod autem argumentum à perfectionibus separatis, & per unionem jungibilibus non valeat ad easdem perfectiones in eadem entitate identificatas, constat in complexo ex humanitate, & unione hypostatica, quod ex duabus entitatibus realiter distinctis coalescit, non repugnat: & tamen repugnat humanitas identificata cum unione hypostatica. Pariter non repugnat complexum ex intellectu creato, & dono Prophetiæ, ratione cuius intellectus creatus futura libera, & contingenter præsciat: & tamen repugnat intellectus creatus secum identificans utramque perfectionem, ut constat ex scriptura, & PP. doctibus, præscientiam futurorum esse certissimum, & præcipuum divinitatis argumentum, juxta illud Isaïæ 41. *Annunciate, qua ventura sunt*

in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos. Et illud Terrull. in Apolog. cap. 20. *Idoneum opinor testimonium divinitatis veritas divinitationis.*

Objic. 3. Potest DEUS producere substantiam intellectualem supernaturalem: sed illa utpote exigens lumen gloriæ tanquam ipsius proprietatem, connaturaliter videret DEUM; ergo &c. Probatur maj. Potest DEUS producere substantiam supernaturalem non intellectivam, ut patet in unione hypostatica, quæ est substantia modalis supernaturalis; ergo & poterit producere substantiam supernaturalem intellectivam. Confirmat. 1. DEUS quoad essentiam suam, & attributa non minus est participabilis à creatura ut author supernaturalis, quam ut author naturalis: sed ut author naturalis est participabilis à substantia creata intellectiva naturali; ergo ut author supernaturalis est participabilis à substantia creata intellectiva supernaturali. Confirmat. 2. Omne accidens dicit ordinem ad aliquod subjectum sibi proprium, & connaturale: sed accidentia supernaturalia substantiæ creatæ intellectivæ non possunt habere aliud subjectum connaturale, quàm substantiam creatam supernaturalem: ergo &c.

Resp. neg. maj. ad probationem conc. antecedens, & neg. consequentiam. Quia substantia modalis supernaturalis utpote indebita substantiæ creatæ intellectivæ, non impedit; ne sit donum omnino gratuitum, & indebitum, quo substantia intellectualis, cui conferrur, omnino gratiose assumatur ad hæreditatem DEI filio debitum. At substantia supernaturalis intellectiva non ita gratiose, sed ex intrinsicis suis haberet illud jus; quod planè est chymæricum, ut constat ex sæpè dictis. Ad primam confirmationem dist. maj. non minus, & eodem modo, neg. & diverso modo, conc. maj. & concessa min. neg. consequentiam. Quia in illa participatione naturali substantiæ intellectivæ per identitatem nulla relucet implicancia, quæ clarè apparet in ea participatione supernaturali intellectivæ per identitatem contra titulum essentialis seruitutis erga DEUM. Unde D. Thomas 1. 2. quæst. 110. artic. 2. ad 2. ait: *Idem, quod substantialiter est in DEO, accidentaliter fit in anima participante divinitatem bonitatem.* Ad secundam confirmationem neg. maj. Quia accidens potest dicere ordinem ad subjectum, sive connaturale, sive obediens; sicut etiam apud adversarios modus potest dicere ordinem non solum ad subjectum connaturale, sed etiam ad obediens; ut patet in unione hypostatica respectu humanitatis Christi Domini.

Objic. 4. contra secundam Job 42. De homine intuentem DEUM dicitur: *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.* Et Isaïæ 6. *Vidi*

Dominum sedentem super solium. Ergo oculus corporeus potest Deum intuitivè videre. Confirm. 1. ex Augustino 22. de Civit. Dei cap. 29. Ubi asserere videtur, etsi dubitanter, quòd Beati post resurrectionem videbunt Deum etiam oculis corporeis; ergo &c. Confirm. 2. Ignis inferni, quamvis corporeus sit, elevatur à Deo ad torquendos dæmones omnino spiritalia; ergo & oculus quamvis corporeus elevari, potest à DEO ad videndum Deum omnino spirituale. Resp. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia hæc, & alia Scripturæ testimonia, intelliguntur de visione Dei non in sua essentia, sed in corporea specie, in qua voluit sensibiliter apparere. Vel de Deo in humanitate assumpta, in qua apparuit, ut dicitur Baruch 3. *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Quando autem hæc, aut alia Scripturæ testimonia intelliguntur de Deo oculis viso in se ipso, hoc non deberet intelligi de oculo corporeo, sed de spiritali, scilicet fide, aut sapientia infusa, quæ Deus in hac vita visus dicitur à sacris Scripturis, ut constat ex Paulo cit. num. 113. Quo in sensu D. Bernardus serm. 2. de Epiphania ait: *Videte, quam oculata sit sedes, quam linceos oculos habeat, diligenter considerate.*

Scriptura sæpè dicitur invisibilis, ut 1. ad Timoth. 3. *Regi seculorum immortalis, & invisibilis.* Et cap. 6. *Quem nullus hominum vidit; sed nec videri potest.* Joan. 1. *DEUM nemo vidit unquam;* ergo nullus intellectus creatus potest elevari ad videndum intuitivè DEUM. Confirmat. 1. Ex eo præcisè, quòd DEUS Hier. 32. Dicatur *incomprehensibilis*, inferunt Theologi, illum à nullo intellectu creato posse comprehendi; ergo ex eo, quòd dicatur invisibilis, debet inferi, à nullo intellectu creato posse videri. Confirmat. 2. ex 2. Pet. 2. Ubi de Deo dicitur: *In quem desiderant Angeli proficere.* Sed desiderium est de re nondum habita, & possessa; ergo Angeli in cælo non habent visionem: seu intuitionem Dei. Atque adeò pura creaturæ impossibilis erit.

Resp. Conc. antecedens, & neg. consequentiam. Quia ista, & similia Scripturæ testimonia intelliguntur de intuitionem, aut visione DEI orta ex solis creaturæ rationalis viribus sibi debitis: vel de visione corporea, ex quo prima & secunda assertio nostra magis roborantur. Non autem possunt intelligi de intuitionem orta à creatura rationali elevata, quam non solum possibilem, sed etiam actualem docet sacra Scriptura, ut constat num. 138. Ad primam confirmationem neg. causalem illam ex eo præcisè. Etenim à Theologis ideo inferitur ex Scriptura illa, DEUM esse incomprehensibilem; quia debet intelligi, ut sonat; cum & hoc ratio suadeat, & nullibi in Scriptura dicatur, quòd DEUS sit comprehensibilis ab intellectu creato. Assertitur autem variis in locis eo n. 138. à nobis relatis, quòd DEUS de facto videtur facialiter, seu intuitivè à beatis in patria: unde nulla est paritatis ratio. Ad secundam confirmationem conc. maj. & dist. min. Est de re nondum possessa pro omni duratione, conc. pro aliqua, neg. min. & consequentiam. Quia Angeli modò videntes in cælo DEUM, desiderunt per subsequentes successivas suas durationes postea, & postea in æternum Deum videre.

Neque impedit desiderium certitudo, quam habent de duratione visionis: ut patet in animabus purgatorii, quæ certò sciunt se obtenturas gloriam, & tamen eam intense desiderant. Adest autem hoc grande discrimen; quòd animæ purgatorii, cum patiantur, & visione actu priventur, desiderant eum anxietate. Beati verò absque pœna, aut anxietate desiderant. Quod prænotavit accuratè D. Greg. lib. 18. Mor. cap. 29. dicens: *Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur: ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore; quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio; quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.*

149. Ad primam confirmationem neg. antecedens: quia ut ait D. Thomas 1. Part. quæst. 12. art. 3. ad 2. Augustinus in eo loco tantum asserit, oculos Beatorum glorificatos videre aliquos effectus mirabiles proprios DEI, ratione quorum latè dicitur videri DEUM: sic oculi nostri videre dicuntur alicujus animam vivificantem corpus, sive hominis vitam, quatenus videt motus sensibiles, & corporeos ab homine procedentes. Unde oculus corporeus non modò DEUM in se ipso, verum neque Angelum quidem, aut animam rationalem videre possunt, cum sint objecta spiritalia, & extra illius sphaeram. Ad secundam confirmationem conc. ant. & neg. consequentiam; quia producere qualitatem spirituales torquentem se habet purè in genere causæ efficientis; cujus defectus suppleri potest à DEO suâ ipsâ virtute cum creatura concurrente. Sic DEUS & homo movere possunt pondus incomparabiliter majus pondere, quòd movere possunt omnes homines: at videre, cum sit exercitium vitale, non se habet purè in genere causæ efficientis, sed etiam formalis, quæ à DEO se ipso suppleri non potest. Sic lapis de potentia absoluta nequit intelligere: neque paries potest ex pura assistentia DEI absque albedine dealbari. Unde cum oculus corporeus non habeat ex suis intrinsicis capacitates ad percipiendum in se ipso objectum spirituale, adhuc per actus imperfectos neque de potentia absoluta valet illud percipere.

150. Objic. 3. contra tertiam. DEUS in facta

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

Ll 2

Objic.

153. **Objic. 6. D. Chrysof. hom. 14. in Joannem dicit: *Ipsam, quod est Deus, non solum Prophetas, sed nec Angelos viderent, neque Archangeli: quod enim creabilis est natura, qualiter videre poterit, quod increabile est.* Quod etiam reperit in pluribus homiliis contra Anomæos, ubi passim dicit, Deum non videri ab aliquo intellectu etiam Angelico; ergo &c. Confir. ex ipso Chrysofomo eadem hom. 14. dicente: *Angelos vidisse quidem Deum in natura assumpta; nam antea non videbant.* Ergo Deus in se ipso invisibilis est à natura, adhuc elevata, sive beata. Vasquez 1. part. disp. 37. cap. 2. & 3. renuit excusare Chrysofomum. Immeritò tamen; nam Chrysofomus solum negavit Angelis, & Beatis visionem comprehensivam Dei, quam admittebant Anomæi, contra quos pugnavat. Secus visionem creatam intuitivam, quam pluribus in locis fateatur, præsertim hom. 3. in Ep. ad Philip. & 69. ad Populum, & Ep. 5. ad Theod. Lapsum. ubi de Deo cælesti Rege ait: *Beatos Regem ipsum contueri, non per introitum, non per enigma, non per speculum, sed facie ad faciem. Non per fidem, sed per speciem.* Quod etiam docet Basilius in Expol. Pl. 33. dicens: *Nos postquam filii resurrectionis erimus, tunc nosse Deum facie ad faciem dignabimur: Sicut & Angeli nunc vident ipsum.* Exinde**

154. **Resp. dist. ant. Nec Angeli viderunt visione comprehensiva, de qua contra Anomæos loquitur Chrysofomus, conc. visione creatam, faciali, & intuitiva, neg. ant. & consequentiam. Ad Confir. conc. ant. in sensu explicato, & nego consequentiam. Quia in hoc secundo testimonio Chrysofomus loquitur de visione Dei non quidem in propria natura, sed in natura assumpta, & propria Dei in unitatem suppositi, cujus Angeli non solum habuerunt visionem, sed etiam comprehensionem: comprehendebant enim non quidem Deum, sed naturam assumptam à Deo, quæ ante incarnationem assumpta non erat: ac proinde ante incarnationem nihil Deo proprium comprehendebant. Hanc esse mentem Chrysofomi testatur D. Thomas 1. part. q. 12. art. 1. ad 4. & constat ex ipso Chrysofomo in ea hom. 14. ubi hæc habet: *Visionem dici certissimam Patris, considerationem, & comprehensionem tantam, quantam Pater habet de filio.* Unde Chrysofomus in his testimoniis, non de quacumque intuitionem, sed de comprehensiva loquitur.**

155. **Quod evidentius apparebit, si in lucem producimus errorem Anomæorum, quem Chrysofomus impugnabat. Theodoretus enim lib. 4. Hæret. Fab. tit. de Eunomio, qui præcipuus fuit inter Anomæos habet hæc: *Ausus est dicere, Eunomius, se nihil de rebus divinis ignorare, sed ipsam Dei substantiam exactè scire, eandemque habere de Deo cognitionem, quam ipse Deus de se ipso habet.* Idem testatur Socrates lib. 1. Hist. c. 7. ubi Eunomium, & Anomæos inducit sic loquentes: *Deus de sua ipsius essentia nihil plus***

intelligit, quam nos: neque ipsi est magis cognita, & perspecta, quam nobis. Item Hieron. ad illud Math. 11. *Nemo novit filium, nisi Pater,* ubi hæc habet: *Erubescat Eunomius, tantam sibi notitiam Patris, & Filii, quantum alteruter inter se habent, jactitans se habere.* Qua de causa Chrysofomus quinque Homiliis contra Anomæos, passim eos Stolidos, & amentes appellat. Et quænam fanè major amentia, quam admittere cognitionem creatam Dei comprehensivam?

Ad comprehensionem enim distinctam à pura intuitionem non solum sufficit objectum in se videre; sed ulterius requiritur, illud videre per cognitionem, quæ ita perfecta sit in ratione cognoscendi, quàm objectum in ratione cognoscibilis, ut diximus à num. 272. & 278. de Deo. Cùm autem cognitio creatam non possit esse tam perfecta, ac ipse Deus cognitus, nec cognitio, quæ Deus se ipsum comprehendit sit perfectior in esse cognoscitivæ, quàm ipse Deus in esse cognoscibilis, exinde nulla cognitio creatam accedere potest ad perfectionem cognitionis comprehensivæ Dei: sicut enim duo inveniuntur pariter ita possunt se gerere, ut unus clariorem intuitionem habeat, quàm alter, quin excedat in ratione videndi perfectionem objecti in esse visibilis; ita etiam contingit in creatis visionibus inveniuntur Deum, comparativè ad visionem Dei se ipsum intuentis.

Objic. 7. Visio intuitiva Dei debet esse infinita, sed nulla visio creatam potest esse infinita; ergo &c. Prob. major. Cognitio crescit juxta incrementum perfectionis objecti; ergo cognitio objecti infiniti, necessariò debet esse infinita. Resp. neq; maj. ad prob. dist. ant. Crescit gradualiter, seu arithmetice, nego, geometricè, seu incremento diversæ lineæ, conc. ant. & nego consequentiam. Ratio est, quia ut cognitio objecti infiniti, infinita sit, requiritur, quòd adæquet ipsum objectum, vel quòd illud infinito modo attingat: si enim illud non adæquet, aut non attingat modo infinito, sed finito, non crescit arithmetice, sed geometricè, & manet finita. Sic cognitio probabilis de Deo non est infinita; quia Deum attingit modo finito, & cognitio scientifica, quam de Deo habemus, finita est; quia licet sit perfectior cognitione probabilis, nihilominus per illam scientiam, solum attingimus Deum modo finito. Est enim grande discrimen inter hæc duo: cognoscere Deum infinitum, aut cognoscere Deum infinitè.

Objic. 8. Plus distat Deus ab intellectu creato, quàm Angelus à visu corporeo: sed ob hanc distantiam oculus corporeus elevari non potest ad videndum intuitivè Angelum; ergo neque intellectus creatus elevari poterit ad videndum intuitivè Deum. Confir. ex Aristotele docente: Infinitum quæ tale esse ignotum, sed Deus est objectum infinitum; ergo non potest esse ab intellectu creato intuitivè cognitum. Resp. dist. maj. Plus distat entitativè, conc. quoad habitu-

dinem

diem potentiae ad objectum neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia intellectus creatus dicit habitudinem cognoscitivam ad cognoscibile quodcumque; ac proinde cum Deus sit cognoscibilis, dicit habitudinem potentiae ad objectum divinum. At oculus corporeus solum dicit habitudinem ad objectum materiale, sive ad lucidum coloratum; cum autem Angelus non sit materialis; neque lucidus coloratus, exinde oculus corporeus nequit videre Angelum. Ad confirmationem dist. maj. esse ignotum per attingentiam infinitam, conc. per attingentiam finitam, neg. maj. & concessa min. neg. consequentiam. Nam infinitum non est ignotum, ut tractatum modo finito: aliter non possemus DEUM cognoscere adhuc probabiliter, quod est contra lumen naturae, & contra ipsum Philosophum admittentem scientiam naturalem de Deo.

159. Obj. 9. Intellectus creatus non potest elevari ad cognoscendas intuitivè omnes creaturas possibiles: sed difficilius est cognoscere Deum simpliciter infinitum; ergo non potest elevari ad cognoscendum intuitivè Deum. Resp. conc. maj. & dist. min. difficilius est per cognitionem cognoscentem modo finito, C. per cognitionem cognoscentem modo finito, neg. min. & conseq. Ratio est, quia videre non solum dicit virtutem in genere causae effectivae, sed etiã in genere causae formalis, ut constat ex n. 49. ac proinde videre actu infinitivè infinita realiter distincta, dicit infinitam virtutem actualem se habentem in vidente in genere quasi causae formalis; ille quippe modus videendi esset discretivus inter unum individuũ, & aliud; ideòq; attingeret usque ad ultimas differentias, ratione quarũ unum non est aliud: ita autem discernere inter aliud & aliud sine fine, est modus discernendi infinitus, qui sine infinita virtute discretiva haberi non potest, ut per se patet. Cum autem nulla creatura possit habere ex intrinsicis suis virtutem infinitam, exinde nequit cognoscere modo infinito, neq; habere potest virtutem, ut eleveatur ad intueudas simul infinitas creaturas possibiles: at verò quando objectum indivisibile est simpliciter infinitum, non requirit in potentia vidente eam virtutem discretivam infinitam, ut videat illud modo discretivo finito, ut patet in actu probabili de objecto infinito: in actu scientifico, & in actu fidei, quem modò habemus de Deo, ac proinde potest elevari ad videndum modo finito Deum simpliciter infinitum. Unde ex eo, quòd potentia finita possit videri Deum objectum infinitum modo finito, perperam arguitur, quòd possit etiam videre objectum infinitum modo infinito. Vide à n. 156.

160. Obj. 10. contra quartam. Evidens est, lumine naturali intellectum creatum posse cognoscere, quidquid continetur intra objectum ejus adaequatum: sed eodem lumine naturali constat, DEUM clarè visum contineri intra objectum adaequatum intellectus creati; ergo &c. Resp. dist. maj. posse cogno-

scere vel abstractivè, vel intuitivè viribus suis, conc. posse cognoscere viribus suis intuitivè, neg. maj. & dist. min. intra objectum adaequatum solis viribus suis attingibile, neg. non ita attingibile, conc. min. & neg. consequentiam. Ratio est, quia id, quod intellectus creatus non potest solis suis viribus intuitivè cognoscere, evidens nobis non est, an aliis viribus roboratus possit intuitivè videre; neque evidens nobis est, an possibiles sint tales vires, licet utrumque solo naturae lumine probabile nobis appareat. Quapropter non est evidens, sed solum probabile, quòd ab intellectu solo naturae lumine ducto possit Deus intuitivè videri.

Objic. 11. Quidquid perfectionis simpliciter convenit inferiori potentiae cognoscitivae, convenit etiam superiori: atqui potentiae visivae, quae inferior est intellectu, competit posse immediatè viribus suis intueri, quidquid comprehenditur sub latitudine sui objecti; ac proinde cum Deus sub latitudine sui objecti comprehendatur, poterit ab intellectu creato solis viribus suis intuitivè videri. Resp. dist. maj. convenit facta proportione in eadem linea, conc. in diversa linea, neg. maj. & conc. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia, quando proportio fit in diversa linea, sicuti in praesenti fit de linea materiali, ac spiritali, paritas nulla est; sic scientia naturalis ad divinam fidem se habet ut habitus cognoscitivus inferior ad superiorem: & tamen habitui inferiori scientiae naturalis convenit claritas, & evidentia, quae non convenit habitui fidei superiori.

Sic etiam in casu nostro. Potentiae visivae convenit intueri viribus suis quodcumque objectum visibile; quin potentia visiva eleveatur: & tamen ut constat ex fide, intellectui non convenit intueri viribus suis quodcumque objectum, quin eleveatur. Ratio autem à priori, quare res superior, possit esse perfectior, quamvis illi non conveniat perfectio alterius rei inferiori, est, qui potest illi convenire alia major perfectio, per quam aliam inferiorem excedat, & sic contingit in praesenti. Nam posse Deum abstractivè attingere, & omnia objecta sensuum abstractivè, & intuitivè longè majus est, quam ad objecta sensibilia intuitivè attingenda alligari: sic major perfectio est in Angelo virtus rerum naturalium comprehensiva, quin illi conveniat ratio virtutis generativae, quam in homine utraque virtus, & generativa, & discursiva absque tali comprehensione.

Objic. 12. Qui comprehendit aliquam potentiam, cognoscit omnes actus, & omnia objecta, ad quae potest se extendere; sed angelus naturaliter comprehendit intellectum humanum, qui est capax visionis beatificae; ergo solo lumine naturali cognoscit intellectum humanum posse elevari ad intuitivam visionem beatificam: ac proinde & hanc esse possibilem. Confirm.

Potentia obediencialis identificatur realiter cum intellectu humano, & est illi essentialis; ergo Angelus comprehendens humanitatem, comprehendit potentiam obediencialem, & visionem, ad quam potest elevari. Resp. dist. maj. qui comprehendit comprehensione perfectissima, conc. comprehensione respiciente solum terminos creatos rei comprehensæ debitos, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia datur duplex comprehensio, altera quidem perfectissima, quæ res intuitivè cognoscitur in ordine ad omnes terminos, & respectus suæ capacitatis: & hæc non reperitur in Angelo, sed in solo Deo, ut de Deo dixi num. 274. Altera verò minus perfecta, quæ solum se extendit ad terminos, & respectus creatos debitos rei, quæ comprehenditur: cum autem nulli rei naturali sint debiti termini supernaturales, exinde per hanc comprehensionem, quæ res naturales cognoscit Angelus, nequit comprehendere terminos supernaturales. Ad Contr. conc. ant. & neg. consequentiam. Quia licet identificetur cum potentia naturali, respicit diversos terminos quæ obediencialis, quàm respiciat quæ naturalis: ac proinde potest comprehendere quæ naturalis, quin comprehendatur quæ obediencialis. Ex dictis.

164. Fit 1. Non posse visionem beatificam intuitivam solis naturæ viribus per metaphysicam demonstrationem ostendi possibilem, adhuc

supposita revelatione. Ratio est, quia nullus actus naturalis potest cum revelatione, aut principiis supernaturalibus connecti; atque adeo ratione revelationis non potest habere intrinsecam, & formalem infallibilitatem, ut constat à num. 140. Fit 2. supposita revelatione possibile intellectum creatum viribus naturalibus probare conclusionem Theologicam possibilitatem visionis supernaturalis. Ratio est, quia conclusio Theologica supponit ex parte inferentis vel duplicem præmissam fidei, quarum quælibet metaphysicè est intrinsecè infallibilis: vel scilicet unam fidei, & alteram naturalem evidentem; ac proinde conclusio ex talibus præmissis legitime descendens est materialiter, sive objectivè infallibilis, & subjectivè certissima. Etenim concessis istis præmissis: *Quidquid Deus revelat, verum est: sed Deus revelat possibilem esse intellectum creato visionem Dei intuitivam: manet intellectus ad hanc conclusionem necessitatus. Ergo visio Dei intuitiva intellectui creato possibilis est.* Cæterum quia concessis præmissis eadem necessitate teneretur intellectus ad inferendam conclusionem sive præmissæ in re essent formalis fidei, ut in Catholico, sive apparentis, ut in Hæretico; exinde conclusio deducta non habet intrinsecam connexionem cum præmissis formalitas fidei, neque est supernaturalis, sed naturalis, ut constat ex num. 1, de Deo.

DISPUTATIO V.

DE APPETITU ELICITO HOMINIS VIATORIS AD INTUITIVAM DEI VISIONEM.

165. Quod homo viator, aut ulla pura rationalis creatura non habeat appetitum innatum ad intuitivam Dei visionem, satis constat ex dictis à num. 58. etenim cum Author naturæ Deus nihil frustra faciat, exinde producere nequit ullum naturalem appetitum, quem ut Auctor naturæ explere non possit. Quod autem homo instructus viribus gratiæ possit elicere appetitum, sive efficax desiderium visionis Dei intuitivæ, prout ad salutem oportet, constat ex fide, quæ docemur, teneri nos, atque adeo posse beatitudinem sperare. Unde Tridentinum Sess. 6. can. 3. ait: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Exinde quærentur hic Theologi, an homo solis naturæ viribus possit habere appetitum elicicum circa supernaturalem, sive intuitivam Dei visionem; & an talis appetitus sit liber & necessarius? Prima sententia docet, non posse puram rationalem naturam elicere ullum desiderium circa supernaturalem visionem Dei. Ita Cajet. 1. part. q. 12. art. 1. §. ad evidentiam. & 1. 2. q. 3. & 5. Vasquez 1. 2.

disp. 22. cap. 1. Licet ex diverso fundamento, Cajetanus quia seclusa revelatione Dei non potest haberi notitia donorum supernaturalium, ac proinde nec desiderium. Quod fundamentum amplectitur etiam Sorus in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. Vasquez verò, quia sine auxilio gratiæ, solis naturæ viribus non potest fieri amor objecti honesti. Secunda sententia affirmat posse hominem solis naturæ viribus habere appetitum elicicum circa visionem, & dona superna. Ita Bon. in 4. dist. 49. q. 2. Ex. Doct. 1. 2. q. 16. sect. ult. Pluresque alii, quos sequitur Ripalda lib. 1. de ente superno sect. 2. & Wortul Tract. de Vis. disp. 18. & communiter Recentiores.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

A Ssero 1. cum 2. Sententia. Potest homo solis naturæ viribus habere appetitum elicicum circa supernaturalem visionem. Prob. 1. Auctoritate Conciliorum. Tridentinum enim citatum num. super. docet, appetitum elicicum à pura natura circa supernaturalem visionem